DE

VARIA DEBILITATIS ORIGINE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XIV. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JACOBUS JOSEPHUS KOEHLER.
VRATISLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:
J. PREISS, MED. ET CHIR. DR.
C. GRIM, MED. ET CHIR. DR.
G. FIGULUS, MED ET CHIR. CAND.

BEROLINI.
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

Ut potero, explicabo.

Cicero.

PRAECEPTORIBUS

MAXIMA PIETATE COLENDIS

QUALESCUNQUE HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

DISCIPULUS

PROOEMIUM.

De materia quadam, e medicinae campo latissimo, satis distincte et docte disserere, prisco satisfacturo mori, in rem ipsam, ut nova fortasse et memoratu sat digna edantur, altius penetrare, tironi eo difficilius est, quo altiorem, et ars et scientia, perfectionis ad gradum evectae sunt; et quo magis experientia una cum profundissima meditatione conjuncta, nituntur.

Quem autem in finem, cum de statu corporis quodam, quotidie fere observando simulque vero a viris medicinae gravissimis multifarie descripto atque exposito ea ex parte, ut, ad debilitatis organismi origines fontesque e processibus morbosis iisque morbis, quantum potuerim, eruendos respicerem, laborem me suscepisse plane frustraneum, vix crediderim.

Quamquam nimirum, hancce materiam egregie exponere fontesque igitur distincte et accurate indagare opus maxime laboriosum jam diu mihi

videbatur, quod tamen opusculum juvenile, ut benevole ad conatus meos aequos reddendos excipiatur, fore sperarem.

Ceteroquin, cum vires meas ad id maxime infirmas intellexerim, eo magis virorum peritorum indulgentiam valde implorem, ac, ne hasce juveniles primitias ex sua levitate, sed ex mea rem tractandi cupiditate L. B. metiantur, quam maxime petam.

Debilitatis notio.

Quando de corporis humani statu, qui debilitate sensu latiore excellit, altius meditamur, ipsam ejus notionem tantummodo esse relativam, nec aliud nisi minorem quendam aut minimum facultatis alicujus, a potentiis quibusdam imminutae atque intensitate magis magisque suppressae aut sublatae, gradum significare, satis superque patet. Phaenomenis igitur editis, mutationem quandam debilitate nimirum effectus aut causae instar relicta, natam esse, concludere licet. Ad notionem vero debilitatis, relativam quippe, propius aggressurus, numerum quendam virium, aut potius, ut generatim concipiam, qualitatum, robur; earumque numerum deminutum et integritatem laesam debilitatem nominaverim. Jam ut qualitatum in corpore quodam diversarum magnitudo, roboris et debilitatis notionem affert, sic organismi humani robur debilitatemque in qualitatum solummodo diversitate eum ipsum constituentium quaerendam esse

intellectu non est difficile. Organismi autem humani natura atque indoles singularis, forma scilicet aeque ac mixtione natae, plurimis obnoxiae sunt vicissitudinibus, quae, cum relationes nimirum magnitudinis nobis appareant, tum demum sub forma actionum vitalium animo nostro animadvertendae ac perspiciendae tales supersunt, quales videlicet pro earum ipsarum magnitudine vicissim comparari atque attributis, robore scilicet, ac debilitate, exhibendis, significari possunt. Hac itaque in commentatione, de debilitatis originibus eruendis, ne ejus ipsius limites transgrediar, ad actionum tantummodo vitalium debilitatem respiciam.

Contemplatio actionum vitalium deminutarum, omnibus, qui debilitatis originem, ad magnitudinem scilicet reactionis respectu solummodo habito, perscrutantur, aut eam ipsam ad unam certamque vim manifestam, reactionem scilicet, referunt, minus mihi videtur probanda esse. Quibus obiter et in transitu praemissis, neminem profecto reperiam, cui sententiae illae, de vitae principio ac phaenomenis, deque vitae conditionibus laesis morbosisque nec non de omnibus fere processibus morbum ferentibus, plane diversae, theoremata et illa innumerabilia ac studium istud omnia medicinae principia in systematis formam redigendi in mentem non veniant. Hunc igitur in finem, paulo uberius de systemate quodam, quod suo tempore maxime floruit jam vero evanuit, disseram ejusque de fundamentis, quae ad eam pertinent proferam

Nominibus, Stheniae et Astheniae, systema nimirum a Brunone*), viro illo summi ingenii, in lucem editum me velle intelligi, satis cuilibet patet; sed doctrinam de natura indoleque debilitatis, si quis accuratius perspexerit, omnes fere sententias et opiniones, quae inde promanaverunt plane refutari posse, patet. Quisnam nostrum est, qui eam sententiam primum tenuisse locum summumque exstitisse, ignoret: „Vitam per se nullam esse, sed eam rebus exsternis (stimulis) effici." A numero igitur horum stimulorum Stheniam atque Astheniam pendere, quantitate quippe eorum ipsorum adaucta, Stheniam, deminuta, Astheniam nasci, hujusce doctrinae princeps contendit; his igitur incitamentis aut additis aut detractis curandi methodus, addendo aut subtrahendo instituebatur, secundum quam necesse, ut justo incitabilitatis modo semper restituendo excelluerit. Cum autem conditionis utriusque modo dictae ad rationem respiciatur, tum non semper Stheniam et Astheniam, res quippe contrarias, sed potius saepissime respondentes, causae effectusque instar, animadverti possunt. Actione enim vitali in organo quodam vel certo humani corporis systemate magis minusve sublata, reactione nimirum suppressa aut impedita, Astheniam exoriri opportet; quo igitur fit, ut illa actio vitalis alio in organo aut systemate, ut aequilibrium organicum restituatur, quantum possit, augeatur. Sthenia exinde nata liquet.

*) Joann. Brunonis elementa medicinae. Edinb. 1780.

Quam vero ob causam, in organismo humano haud raro uno eodemque temporis momento utramque illam conditionem observari posse, facile intelligatur. Hic quoque commemorare licet, systematum organismi singularium eorumque organorum receptivitatem potentiis externis ita manifestari ut una potentia eademque, quae unius alteriusve partis actionem deminuat eam ceterarum ipsam augere nimirum possit; quam scilicet ob causam, ut exemplo ad hancce sententiam confirmandam utar, medicamina universim roborantia perinde ac universim debilitantia assumere, eorumque efficaciam generalem argumentari velle, plane dedecet. Quis est, qui neget? — Omnibus vero, qui debilitatis doctrinam ad Stheniam et Astheniam respicientes exponere, aut fortasse Brunonis systemati aliqua certe ex parte favere vellent, opus non esse laboriosum.

Quibus autem de systemate Brunonis haud fusius praemissis, supervacaneum quidpiam me dixisse non putarem, cum certo omnibus sane, qui aliqua ex parte medicinae disciplinas perspexerint profundiusque meditati sint, falsa ac vana hujusce doctrinae satis eluceant. Eo vero in gradu si praetermittas irritabilitatem Halleri — singularem musculorum vim — Stahlium et Fr. Hoffmannum via modoque sine dubio simplicioribus magisque naturalibus naturae et medicinae studium perscrutatos fuisse altiusque in id ipsum penetrasse, quam recentiorum permulti fortasse crediderint, affirmarem; sic quoque nos posse habere

persuasos majores allatas fuisse universae medicinae fructus opinarer, si illa in via simpliciori progrederetur, nec in ista nova artificiali et praeternaturali naturam ipsam quodammodo denegasset. Quamquam enim Stahlius *), ingenio perspicacissimo exornatus, vitae principium subtilius forsan exponendo, animam, ut notum, dixerit; quamquam Fr. Hoffmannus **), minus subtiliter corpus machinae compositionem et structuram referre vitamque in eo ipsam a motu quodam, sanguinis praecipue, effectam, crediderit, cujusque motus principium animam (Stahlii) non esse, sed ignotum quoddam, per nervorum spiritum agens, contenderit; magis tamen frugiferi quidpiam plurimae sequentes medicorum sectae et diversae eorum familiae hacce via progredientes, in lucem proferre potuissent. Via vero analytica, etsi angustiori satisque laboriosa, vires organismi fundamentum humani constituentes, perscrutandas et eruendas esse, crederem; quamquam videlicet difficillimum, certam definitamque rem, objectum — ut hacce significem voce — roboris aut debilitatis reperiri atque argumentis confirmare, omnes

---

*) G. E. Stahl, theoria medica vera physiologiam et pathologiam sistens. Hal. 1708. 4. ed. 2. — Junker, ibid. 1737. 4.

**) Fr. Hoffmann, medicina rationalis systematica. Hal, 1738. IV. Tom. 4. — Ejusd. de differentia inter ejus doctrinam physico-medicam et Stahlii medico-organicam. Frfti. 1746.

tamen, qui via analyseos indagando operam de- derint, dummodo probabilia certe nondum sati- certa protulerint, aliqua ex parte satisfaciant.

Cum hisce de medicinae systematibus prae- missis pauloque uberius, quam huicce opusculo forsan opus sit, expositis, nimis propterea digres- sum fuisse viderer, attamen de systemate genera- tim tractandum, ne uni alterive magis vel minus favendo in suspicionem, incidam, crediderim.

Laxitas, debilitatis et socia, et causa.

Nunc autem, ad debilitatem ipsam versuro necessarium mihi videbatur, ds statu illo quam maxime simili, quin etiam voce synonyma saepe significato, accuratius vero distinguendo, laxitate nimirum, fusius disserere.

Haud raro quidem in corpore humano utram- que hancce conditionem modo conjunctam, mòdo laxitatem, debilitatis causam quippe, observare licet, sed re accuratius perspectu utrumque sta- tum plane esse diversum, simulque variis gaudere causis et symptomatibus, negari nequit. Gaubius autem, praecipue in debilitatis et laxitatis origi- nibus phaenomenisque eruendis ac definiendis ex una eademque causa, cohaerentia scilicet laesa utrumque derivat. Nam „cohaerentia*), in

---

*) Institutiones pathologiae medicinalis auctor Gaubio. Lips. 1759. §. 152.

quit, duobus modis peccat, imminutione vel excessu: haec rigiditas, illa debilitas vocatur. Hi bini morbi similares.

In cohaerentia igitur deminuta, causam esse quaerendam, auctor ille gravissimus censet. Paulo post eodem loco *) exponendo: debilitas, pergit, itaque dicatur materiae solidum componentis nisus in cohaesionem tam parvus, ut ferre motus nequeat, quos vitae ac sanitatis munia exigunt, quin minus cedat. Quo igitur modo hancce corporis conditionem in viribus quibusdam necessariam efficientibus cohaesionem vel laesis vel deminutis quaerendam esse demonstratur; sic quoque in sequentibus **), semper nimirum ad cohaesionem, contractionem et expansionem rite procedentes respectu habito multas debilitatis formas speciesque in partibus scilicet solidis, aut distractis aut dissolutis, suppeditavit. Itaque scripsit auctor: Debile autem, vi majore auctum, aut salva cohaesione nimis distrahitur recursui impar, aut ruptum plane dissolvitur.

Quo autem ex vitio duo nascuntur genera, quorum primum, speciebus quibusdam distinctis, vitia singula, quoad partium diversarum qualitatem diversam, enumerat ***):

*) l. c. §. 157.
**) l. c. §. 159.
***) l. c. §. 160.

a) Laxum, flaccidum in partibus mollibus etc.
b) Iners, in partibus natura elasticis etc.
c) Flexile, in ossibus etc.

Generis alterius speciebus adscribuntur:

a) Tenerum, gracile in mollibus p. etc.
b) Tabidum, itidem in mollibus etc.
c) Fissile, in partibus natura tenacioribus;
d) Fragile in ossibus.

Quibus igitur expositis, Gaubium laxitatem debilitatis speciem habuisse, et formam quandam, qua debile illud nostris occurrat oculis, suppeditasse liquet.

Hac vero ratione, dum scilicet omnia modo commemorata ad cohaesionem spectent imminutam, vis nervorum deminuta a robore elastico, viribus corporis humani plane diversis rite non distinguatur, utramque scilicet conditionem cum debilitatis tum laxitatis a se invicem discernendam esse, sedibus quippe et symptomatibus utriusque variis, opinor. Cui etiam sententiae accessit Ludwigius *).

Laxitas vero, (flaccidum in partibus mollibus) debilitatis solummodo formam indicat, unde, eam tum demum, dysharmonia quadam inter tensionem et relaxationem, aut contractionem inter et expansionem exorta, natam esse, colligere licet. Gaubius **) enim ipse omnium illarum debilitatis specierum causam generalem in elementi terrei particularum contactibus justo paucioribus nec sat

*) C. G. Ludwig institut. pathol. §. 51 et 58.
**) l. c. §. 162.

-ctis sitam esse, fusius exponit, quod vero iterum
" cohaesionem, jam sat descriptam, nos reducit.
um autem, ut ad debilitatis expositionem regre-
ar, laxitatem multifarie ansam praebere debili-
ti, ejusque ipsius generationi plus minusve fa-
ere posse, saepissime quoque illam causam ha-
endam, denique alteram cum altera conjunctam
spiciendam esse, contenderim. Debilitas igitur
terdum suam trahit e laxitate originem. Intimo
nim inter omnes organismi functiones consensu
eri potest, ut omnes laxitatis causae nimirum oc-
sionales debilitati etiam magis magisque occasio-
em praebeant eamque ipsam excolant; quarum
eteroquin nonnullae uno atque eodem temporis
omento utrumque statum morborum gignere re-
era videntur. Praecipue autem huc referantur
mnes causae ac potentiae humorum nutritioni
uam maxime inservientium detrahendo insignes;
uae sint:

Motus immoderatus, aut nimis continuus, ve-
eris abusus, vigiliae nimis protractae, vita mollis
iaque hisce similia.

Quibus igitur perspectis, omnia quae ad laxi-
tem efficiendam debilitatemque procreandam
tissima videntur, utriusque hujusce status cau-
m habendam eamque a se invicem haud pror-
s distinguendam, nec raro utriusque connubium
exumque observandum esse, affirmare licet.

Jam cum de fontibus atque originibus debili-
tis tractare mihi proposuerim idcirco multifarie
gitaverim, qualis sit aptissima divisio debilitatis

ipsius et quanam via modoque, quae voluissem eruerem; tum probabile, ut de ea organismi generali ac functionem singularium speciali disseram, mihi videbatur. Ad debilitatem vero generalem respectu habito, si causam fontemque exponere velim, in naturae arcana, in principia vitae animalis legesque, in nexum illum intimum omnium virium vitam ipsam constituentium altius, sed fortasse frustra penetrare, nisi generatim quemadmodum in hujusce libelli initiis de notione debilitatis verba iterum faciam, periclitarer. Quam igitur perscrutationem et contemplationem egregie instituere virorum medicinae perfectorum omnibus numeris absolutorum est, nec vero tironis. Attamen cum ad functionum singularium debilitatem respiciam, tum magis mihi fontes profluant fore spero quapropter, ut ordine quodam exponere possim in classes quasdam dividere liceat. Itaque primum de debilitate, quae e systemate nervoso — d. sensibilitatis; tum, quae e systemate sanguifero; denique quae e s. reproductivo originem trahere putaverim, dicam.

Debilitas e systemate oriunda nervoso.

Actiones sensibilitatis modo in omnibus organismi systematibus, modo in singulis organis debilitatas animadvertimus, ita ut hujusce facuitat principium universim aut topice deminuatur, aut quibusdam in organis accumulatum ceteris exind

nimirum detrahatur. Ex hac conditione sensibilitatis proficiscitur, quae videlicet diversis ex causis originem ducit variisque potentiis cum externis tum internis in eam ipsam agentibus manifestatur. Praecipue vero frigoris vis huc pertinet, quam in primis quidem initiis incitamentum corpori animali habendam, sed frigus per quoddam temporis spatium copiosius et continens vim esse nociferam vitamque animalem sensim sensimque tollere, satis sumus experti. Altera vero ex parte hancce debilitatis speciem in quibusdam quaeratur narcoticis exhibitis, a nonnullis quoque auctoribus eam ob causam narcotica in sensibilitatem proprie agentia (Sensibilitätsgifte) dictis; quibus, ut notum, acidum hydrocyanicum et aqua Laurocerasi, Opium, forsan quoque gas acidum carbonicum, praeprimis adscribantur necesse. Quemadmodum plurima e narcoticorum ordine systema nervosum ita hebetant planeque fere destruunt, ut ad pristinum vigorem statumque normalem, secundum illorum auctorum sententiam, nulla arte nec auxilio redigi possit; sic quoque medicamina excitantia perinde ac anodyna sic dicta intempestive exhibita effectu debilitante nocere queunt.

Effectum autem omnium venenorum in eo situm esse, ut substantia narcotica in parte systematis nervosi peripherica principii quidpiam sensibilitatis detrahat, exinde vero, dispositione praecipue praesente, vitam quodammodo, antagonismo aut functione magis vicaria in partes reprimatur centrales, permulti auctorum contendunt.

Huc quoque miasmata pertinere videntur va ria, vi nervos ipsos debilitandi insignia. Quam quam vero quaestioni illi expediendae, quomod contagia et miasmata vim suam in organismu animalem exerceant et quanam ratione ille pro cessus, infectio dicta, nascatur, diversimode opera dedere auctores; quod tamen multis in morbi contagiosis systema nervosum a primis jam infe tionis initiis tam celeriter et vehementer miru sane corrigi debilitarique, ut difficillimum nobi fit explicatu. Ad miasmata autem respiciente prir cipem servare videtur locum acrimonia, ex aucto rum sententia, putrida dicta, quae scilicet hau raro occulto et subdole agendo symptomata, levi ris tantummodo morbi speciem prae se ferenti edunt, ut nervorum robur tam cito deprimatu ut ab efficacissimis nonnisi remediis, putridum re moventibus, vimque vitalem revocantibus, salu possit sperari.

Medicamina vero et potentias externas, si ex ceperis, in alimentis quoque, cibo nimirum potu que multa nervorum systema laedentia ac debil tatem afferentia quaerenda, arbitror.

E ciborum copia calefacientia ipsaque aro mata illa calida, cibis saepissime nimis admixt nervis valde inimica sunt; eadem quoque ration potulentorum spirituosorum, egregia quidem ne vos excitandi virtute praestantium, abusus certi simis nervorum debilitatis indiciis, artuum no modo tremore sed etiam functionibus primaru viarum laesis omnibusque fere sensibus extern

ebescentibus, vim suam exercet debilitantem. um autem in fontibus debilitatis diversis eruenlis pergam, de functionibus organismi humani qui usdam, effectibus scilicet sensibilitatis exhaustu ne dicturum, hic fortasse convenit.

Juvat, ni fallor, spectare illum sensibilitatis orporem, sensuum et externorum et internorum, nimia seminis jactura, scelere isto onania sic icta, exortum, nervis vehementissime percussis eletisque; nec non ad illum torporem momentaeum, tempore digestionis animadvertendum et atum illum similem, qui nimia virium animi in udiis prosequendis nascitur. Simili quoque modo ommotiones animi vehementiores diu continuatae ve repetitis agentes vicibus mira sane efficacia mnem fere systematis nervosi energiam exstinuendo excellunt. Quibus autem de rebus Santorius, monente Richtero *) egregia facit verba, uippe, qui corpus, inquit: animo commoto, quiesens plus perspirare et perdere, quam corpus, anio quiescente commotum; cujusque rei sententias ichterus **) verbis exponit hisce:

Seorsim de magnis animi commotionibus probe enendum est, plus eos fatigare, quam magnos cororis motus. Hi enim nervis certarum partium, opere institutarum, illae toti nervorum generi

---

*) Richteri dissertat. de doctorum lucubrationum oxis in opuscul. ejus Vol. II. §. 188.

**) l. c.

2 *

vim inferunt; hi inter consumtiones praeparant humores ad novam spirituum a somno genesin, illae consumunt tantum, non restituunt; hi abrumpi ex arbitrio possunt, ad vires quiete refocillandas, illae pergunt perenni stimulo nervos pungere, ipsumque somnum, ut medelam morbi prohibere.

Quibus ex dictis animi commotiones quam maxime nervos laedere ac debilitare totique organismo noxam inferre, cuilibet facile intellectu.

In systemate igitur nervoso laeso, sive morboso, sive exhausto, permultas debilitatis fontes atque origines diversimode licet indagare, ac nonnulla sane adhuc mihi essent adscribenda, nisi ad aliud systema, ut eruerem, me vellem convertere.

Debilitas, in systemate quaerenda sanguifero.

In vasorum sanguiferorum systemate haud minus originibus debilitas gaudet diversis. Multifaria ratione disserere possem de ea hic investiganda, modo ad sanguinis quantitatem, modo ad ejus ipsius qualitatem, respectu habito. Quod vero, ut pro meis satisfaciam viribus, diversam indagationem fontium praecipue quoad qualitatem nec non quoad motum instituere, quam maxime mihi arrisit. In omnibus nimirum morbis sanguinis corruptione — cacochymia — insignibus, multisque exinde phaenomenis atque hujusce condi-

tionis indiciis nobis occurrentibus debilitatem ex ea ipsa praecipue nasci, nemo profecto negaret.

Febris putrida praeprimis sanguinis qualitate depravata aliisque symptomatibus ex ea ortis summa excellit debilitate. Sanguis scilicet, phlebotomia emissus *), dissolutus, intense ruber, nigrescens, crusta viridi mucosa, plumbea tectus observatur; unde, calor mordax, huicce febri peculiaris, cutis arida, imperspirabilis, variegata, petechiis varie rubris **) etc., sanguinis sane dissolutionem indicantia, nascuntur. Haemorrhagiae autem variae, narium, pulmonum, gingivarum, intestinorum, oculorum, cutis, systematis uropoëtici aliaeque, naturam scilicet asthenicam prae se ferentes, passivae exinde sic dictae, mixtionis vitium hocce in fluido vitae primario satis demonstrant superque. Sanguinem vero hocce in morbo putredine correptum esse vera, vitamque ejus ipsius penitus sublatam, contendere nefas; sed deminutionem facultatis ejus vitalis laesionemque mixtionis, sanguinis cohaerentia plus minusve exstincta ac majori arteriarum permeabilitate, profectas esse, veritati proprius accedit. Itaque sanguis hocce vitio praeditus ad organorum omnium nutritionem actionemque necessariam, ac vires servandas et sustentandas nequaquam aptus, ideoque vis naturae destructrix nec conservatrix primum tenens lo-

---

*) M. Stoll aphorismi de cognoscendis et curandis febribus §. 487.

**) Stoll l. c.

cum, summam virium prostrationem maximamque debilitatem, et universalem et localem, producit.

Sic quoque e dyscrasia scorbutica nonnulla mihi sint eruenda. Verbis nimirum a patre artis salutaris morbi sat distincte describuntur *). „Ex „ore, inquit, malus odor exspirat, a dentibus gin-„givae abscedunt et ex naribus sanguis effluit. „Interdum vero ex cruribus ulcera erumpunt. Et „haec quidem senescunt — alia vero exoriuntur. „Color niger est et cutis tenuis. Ad deambula-„tionem et ad laborem haud promptus est." Alio quoque loco **) symptomata adumbrantur, sic: Aegroti crura gravantur, et si deambulet, tremunt, et si per acclivem locum inter faciat, crebro ad modum spirat et ulnae suspensae esse videntur.

Quibus autem similia phaenomena in morbo illo, catameniis retentis aut a norma aberrantibus quotidie fere observare licet. Chlorosis scilicet, menstruorum retentione exorta, eo excellit, quod nimiae corporis contentiones, quin imo motus magis protractus, vel passus aliquot celeriores, molestam extemplo efficiat omnium fere partium remittentium et defatigatorum sensationem. Quibus illi dolores vel continui vel per temporis spatium durantes, lumborum, artuum et regionis inguinalis accedere solent.

Etenim quidem in primis morborum modo

*) Hippocrat. de int. affect. S. V. p. 119. 15. Ed. Foos.

**) Hippocr. l. c.

dictorum initiis omnia fere symptomata illa nobis occurrentia sub lassitudinis forma magis, vel defatigationis, vel dedolationis, vel lassitudinis plumbeae sic dictae apparent, quod tamen, veram debilitatem hic satis dilucidam in sanguinis massa morbose affecta, dynamica sane ratione, materiisque eum ipsum constituentibus elementaribus aut depravatis aut exstinctis, quaerendam esse affirmari potest. Ceteroquin via magis mechanica huncce processum exponere licet morbiferum; nam si quis, gradum quendam resistentiae semper incitamentum esse habendum et reactionem augeri, nimium vero illum videlicet exhaurire, persuasum se habeat, nec non humoribus vim quandam incitabilitatis attribuat, hancce nimirum sententiam ad sanguinem ipsum haud difficulter potest referre. Re igitur sic se habente primum vitae incitamentum sauguis, cujus quantitas et qualitas vim suam ad actionem exercet vitalem vitamque universalem ipsam, habendus est; itaque, quo divitior incitamentis, calore scilicet, oxygenio, ferro etc., eo major corporis ipsius reactio. Unde sanguinis dissolutione et cacochymia, incitamento videlicet magis magisque deminuto aut sublato, corpori ipsi infirmitatem nasci debilitatemque, potest concludi.

His expositis, sanguinis qualitatis praecipue ratione habita, ex ejus ipsius motu, uti jam commemoravi, minus vero ad orgasmum et congestionem quam ad stasin respiciens, debilitatis originem, eruam.

In systemate autem venoso multa meo occurrere animo, quae tanti jure quodam momenti mihi videbantur, ut in eo nonnulla quoque fortasse, nec ita dilucida ac prorsus debilitatem efficientia, opinarer indaganda.

Venae, permagna laxitate praeditae, sanguinis nimiam excipere copiam, detrimento exinde non capiundo et per longum temporis spatium hocce in statu passivo sic dicto possunt morari. Extensionem autem venarum magnam in omnibus cordis morbis, simulque vero ad cor ipsum agentem, reactionis instar, suspicandam esse, haud nefas. Qua vero ex conditione, mutua arteriarum venarumque ratione neglecta, majores sanguinis circuitui in abdomini noxae afferuntur; in morbis enim abdominalibus, gravibus ac difficulter sanabilibus, haud raro cordis pulsum intermittentem et palpitationem animadvertimus, quod verisimile fit, ut, venarum arteriarumque ad rationem mutuam respectu minus accurate habito, permulti morbi, saepe malo hypochondriaco, voce illa vulgari exhibita, dicti originem exinde trahant, quorum nimirum focum in turbata vasorum ratione quaeramus necesse. Summi haud mirum momenti venarum reflexum esse, physconiam hepatis lienisque efficientem, facile est intellectu. Venae autem laxae, organa quippe, si respicias ad arterias, passiva generatim habenda, ab earum ipsarum pressu laeduntur ac nimis extenduntur; sed actione quoque tunicarum suarum vitali impedita vel suppressa multa generantur, ut notum, vitia. Altera

vero ex parte, via non modo mechanica sed dynamica etiam nonnullae evolutiones in venis ipsis sitae observantur, inprimis vero in praedispositione illa haemorrhoidali, qua turbatione in abdomine ipso vehementissima praegressa, symptomatibus quin etiam nervosis effectis, sanguinis fluxus subito apparet morbusque tollitur. Venae nimirum sanguine nimis completae atque extensae sensum praecipue pressus cujusdam ac molestiae in omnibus vitiis abdominalibus insignem efficiunt; quod efficit, ut, hacce scilicet stagnatione in abdomine ad fastigium quoddam evecta, de summa lassitudine ac dedolatione in omnibus corporis partibus multifarie conquerantur aegroti. Quibus autem accidit, ut impeditus unius systematis venosi partis ad alteram propagetur et verisimile, sicuti mihi videtur, in minori scilicet energia, majori vero venarum quam arteriarum ramificatione amplissime diffusa, quaerendus. Qua etiam ex conditione Kreysig dolorem illum occipitalem in dispositione haemorrhoidali, dyspnoeam exinde et suspirium ad pulmonum igitur oppressionem protractum, derivandum esse persuadet; eadem ex causa atque origine frontalium intumescentiam venarum in venae portarum morbis, tum earum cruralium, quae minori fortasse in gradu arthritidis speciem larvatae simulare possuut.

Debilitatem vero hisce ex conditionibus oriundam haud semper, quin etiam raro, in pulsu arteriae solum, saepe fallaci, inquirere nobis licet; in morbis enim venae portarum gravioribus mul-

tifarie sane occultis et certissimae diagnosi obscurioribus mutationem quandam nec vigoris pulsus nec rhythmi animadvertere, certique quidpiam eruere ac concludere possumus. Magis vero impedito sanguinis ea in vena circuitu pulsus parvus tangitur et debilis, quapropter debilitatem sane universalem sese observasse, sed false, permulti credidere; sed huncce statum omni ex parte Astheniam indirectam, si cum Brunone dicere mihi licet, magis habendam, e stasi illa in venis pertinacissima derivandam, et hic sine dubio vena secta sanguineque ad effectum usque detracto, tollendum esse, crederem. Sanguinis enim circuitu liberiore reddito, fallax illa debilitas evanescit; causa igitur sublata tollitur effectus. Ceterum vero, circulatione sic impedita et per longum temporis spatium durante, arterias denique per consensum nimirum laedi posse, suspicari fas est, ita ut hacce propagatione truncorum arteriarum abdominalium praesertim ventriculi, hepatis lienisque, pulsatio distincte saepe animadvertatur, ad quam jam ex ea, quae in scrobiculo cordis tangitur, concludere est probabile. Praeterea autem mihi monendum, quod truncis venarum inflammatis, pulsuque arteriae exinde parvo debilique reddito summa nascatur debilitas ac tanta tam symptomata nervorum systematis vere affecti; delirium, stupor etc. observanti occurrant, ut febrem facillime cognoscere possis mere nervosam. Quibus autem phaenomenis morbosis, alvi obstructio saepe pertinax, atonia quaedam totius tractus in-

testinorum, oculorum caligo et cephalalgia una cum pulsu vel accelerato vel retardato, signa scilicet ea ex causa cum febre nervosa aut inflammatione quadam haud difficulter confundenda, quorum vero origines in organorum abdominalium atonia tantummodo venaeque portarum indagandae, accedere solent.

Quaecunque ita sint, permulta hocce iu systemate maximi esse momenti, ac nonnulla sane in venis sita et reperiunda, systemati nervoso saepissime ab auctoribus esse attributa, affirmari haud nefas.

Cum autem, si quis altius inquirendo penetret, multa adhuc phaenomena, sub forma scilicet secretionis morbosae occurrentia apparent morbosque deinde sat graves excultos e. g. haematemesin, melaenam etc. observamus, secretionem videlicet venarum morbosam summam debilitati ansam praebere, contendere licet. Unde enim derivandas esse excretionis illas duras et nigras in melaena aliisque nonnullis vitiis in abdomine profunde ac pertinaciter haerentibus, nisi de hacce secretione venae portarum anomala aliarumque ramificationum huc pertinentium cogitem? Intumescentiae autem venarum abdominalium digestionem prius aut serius laedit ac moerorem et segnitiem tractus intestinorum, lumine eorum modo mechanice angustato, modo actione vitali exinde suppressa efficiunt, ita ut tanta hisce in organis emineat atonia, ne medicaminibus quidem ex ordine drasticorum exhibitis, sordes mobiles et ex-

cernibiles reddi possint, nisi drastica resinosa: Jalappa, Aloëtica etc. rite vocentur in usum.

E systemate igitur venoso permulti originem trahunt morbi, quorum dignitatem Hippocrates jam perspexit eosque sanavit; saeculo autem modo praeterlapso Stahlius praecipue huicce indagationi summam dedit operam ac mala illa ex abdomine praesertim profecta, exquisite tractavit.

Quibus autem expositis e systemate sanguifero mihi eruendis, ad systema reproductionis nunc transeam necesse.

Systema reproductionis.

Hoc in systemate a ventriculo ad extremam intestini recti partem usque, magna incitamentorum perceptione una cum maximo videlicet nervorum consensu praedito, fortissima quoque, ad functiones respectu, resorptione induto et perpetuo potentiarum externarum contactui atque influxui exposito, simulque cum plurimis organis summi momenti connexo, multa, quae atria morborum habeantur, indaganda esse, satis liquet superque. Nec vero hic mihi dicendum de debilitate e. g. in stadio reconvalescentiae relictae, cum ea ipsa solummodo ex naturae conaminibus aequilibrium videlicet omnium organismi humani functionum rite instituendi reducendique ad normam, derivanda sit; nec de ea, quae virium consumtione exoritur v. g. in febre hectica, qua scilicet universa corpo-

ris materia dynamice et mechanice sensim decrescit sensimque ac functionibus rite exsequendis praestare non potest.

Respiciatur autem inprimis ad sordes diversas vel gastricismum simplicem vel febrem gastricam producentes: biliosas, saburrales, pituitosas verminosasque; quas materias magis minusve depravatas et aliena quippe natura praeditas, canalem ipsum alimentarem morbose afficere, neque in eo ipso tantum sed in toto etiam corpore phaenomena profectura esse pathologica, mirum sane non habetur. Quibus vero accidit, ut per totum processum morbiferum ex hacce conditione oriundum, ratione mutua organorum dynamica singularium laesa, functiones quippe opprimendo aut fortasse, si res vertatur in pejus, plane tollendo, viribus denique non tam in partibus singulis, quae intersint, quam in universo corpore suppressis, debilitas, prius partialis, serius vero universalis nascatur. Quarum autem materiarum vires, quae morbos generant varios, aut certe generationi quorundam magis minusve favent, ab organismo in universum frangi atque e medio tolli nequeunt; functiones exinde laeduntur, quia omnia assimilatione digna, non assimilantur; quo fiat necesse, ut debilitas exoriatur.

Quam autem in synocha gastrica, majori nimirum observare licet in gradu; hic enim, febre praesente vasorum exinde sanguiferorum systemate irritato, duplici sane modo corpus afficitur. Hisce quoque Synochus gastricus et Synochus biliosus

adnumerari potest, quibus enim in morbis propter astheniam lenioris, ut ita dicam, indolis una cum sordibus saburralibus ac biliosis, functiones organorum assimilationi inservientium organa ipsa mechanice et dynamice infestantur, ita ut, aequilibrio huncce in modum dynamico turbato inter organa videlicet secernentia et secreta ipsa, prius in organis, serius vero in systematibus morbose correptis debilitas manifestatur.

Febrium autem gastricarum transitum in Typhum gastricum, periculosissimum quippe metaschematismum habendum esse, constat; quo igitur in morbo sordibus semper adhuc accumulatis jamjam depravatis in decompositionem denique pessimam transactis et in sanguinem receptis, febrem nasci posse mere putridam, dubitari nefas. Cujus vero morbi in antecedentibus jam mentionem feci ibique viam modumque, quibus totius debilitas organismi exoritur, exposui.

Ceterum vero, ad typhum ipsum generatim respectu habito, nonnulla mihi sunt adjicienda, quae huc pertinent.

Typhum autem e debilitate atque atonia permulti derivant auctores. Voce vero, debilitatis, omni tempore permulta et plane diversa sic multifarie sunt significata, ut saepissime haud mirum in magnis haereat difficultatibus notionem singularem satis dilucidam reddere. Saepissime enim in aegris chloroticis, leucophlegmaticis et scrophulosis summa quidem atonia observari potest, attamen Typho carens, qui e contrario haud raro

rum erethismo conjunctus adspicitur. Qua **igitur** de causa sententiae illae generatim accederem, qua contenditur: Typhi causam proximam in reactione debilitata organorum scilicet febre correptorum, una cum incitabilitate eorum ipsorum adaucta et vis vitalis qualitate simul affecta, quaerendam esse*). Ex hacce vero reactione tam debili atque nimia incitabilitate actiones omnes organorum morbosorum debilitate praestantes debiles, versatiles atque atacticae originem trahunt. Si quis forte profundius penetraret, cum quoque fortasse laesionem mixtionis animalis graviorem, causam quippe, cujus vero naturam qualitatemque nobis haud cognitam atque obscuram, detegere vellet?

Definitionem autem Typhi e systemate tantummodo nervorum laeso et morboso proferre, minus convenit; etenim in Typho complicato symptomata nervosa multifarie observare licet, multis tamen in Typhi simplices speciebus nullam sane nervorum laesionem distinctam animadvertimus. Cogitanti igitur mihi de fontibus debilitatis diversis, causam veram, uti jam prius expossui, semper esse internam talemque indagandam, nec symptomatum tantummodo confluxum habendam esse.

Debilitas igitur vera organorum singularium semper defectu facultatis alicujus interno vel impedimento, quod foris advenit, exoritur; ea ipsa

*) Reil's Fieberlehre. Band 1. Cap. 26. §. 309.

vero, quae causa gaudet interna, modo transitoriam e vitio minoris momenti in forma et mixtione oriundam, modo permanentem, viribus in organis morbosis deletis sublatisque, nec arte, nec natura restituendis animadvertendam esse, satis habemus compertum. Ad illam scilicet referantur: plethora, congestio, nimia partium solidarum cohaesio, res quaedam nauseam efficientes etc., quae omnia ad liberum systematis nervosi et sanguiferi influxum in organa quaedam, pro tempore certe prohibitum aut turbatum spectant; ad hanc vero materiarum corporis corruptio universalis, gangraena, partiumque solidarum et fluidarum putrescentia etc. potest adnumerari.

Curriculum vitae

x decreto Gratiosi Medicorum Ordinis adjectum.

Ego, Jacobus Josephus Koehler, Romanae eccle-iae addictus, pridie Nonas Junii A. MDCCCV, Vra-is aviae, patre optimo Francisco et matre carissi-na Catharina, e gente Herzog, natus sum; quos arentes dilectissimos morte jam mihi ereptos lu-eo semperque lugebo. Primis litteris imbutus, ymnasium Leopoldinum, quod auspiciis Ill. Pro-ess. Dr. Koehler, senis summo studio colendi, ratislaviae floret, adii, in quo per novem annos

studia, quae audiunt humaniora, exercui, testimo
nio autem hisce peractis maturitatis instructu
viris illis, quibus praeceptoribus gavisus sum, debita
habiturus gratias, ad altiora dimissus sum studia
Anno deinde MCCCXXV. Viadrinam almam mu
sarum sedem petii, in qua ab Ill. Foerster, tun
temporis fasces tenente academicos, jam beato, i
numerum civium academicorum receptus et al
Ill. Benedict, gratiosi medicorum ordinis t. t. Pro
decano spectabili, medicinae studiosis adscriptus
per triennium lectiones scholasque frequentav
hasce: Ill. Thilo, de Logice et Metaphysice, Ill
Wachler de historia nostri aevi, nec minus de vit
academica rite instituenda, Ill. Rohowsky de ra
tione studii philosophici disserentem, Ill. Lichten
staedt encyclopaediam medicam exponentem au
divi. Ill. Otto Osteologiam cum Syndesmologia
anatomiam universam nec non comparatam e
pathologicam, Zoologiam, historiam foetus metho-
dumque sectionum forensium rite instituendarum
me docuit, simulque cadaveribus dissecandis me
instituit. Ill. Treviranus Botanicen et plantarum
physiologiam tradentem audivi, quem et in excur-

onibus botanicis comitatus sum. Ill. Steffens hysicen experimentalem; Ill. Fischer Chemiam neoreticam et practicam, nec minus corporum oranicorum ac pharmaceuticam mihi exposuerunt. Il. Purkinje physiologiam et psychologiam mihi radidit atque experimentis physiologicis a se institutis interesse mihi concessit. Ill. Klose Pathoogiam generalem et nosologiam cum Therapia peciali haemorrhagiarum; Ill. Hemprich doctriam de temperamentis; Ill. Seerig angiologiam orp. hum. et doctrinam de instrumentis chirurgicis fasciisque rite applicandis; Ill. Barkow histoiam entozoorum naturalem; Ill. Seidel doctriam de medicaminibus regni mineralis, vegetabiis atque animalis nec non de acidis tradiderunt. Ill. Wendt Materiam medicam, therapiam specialem nec non morborum infantum et doctrinam de fontibus aquisque Germaniae medicatis; Ill. Remer therapiam generalem et specialem; Ill. Benedict chirurgiam generalem et specialem, nec non ophthalmiatricen, doctrinam de instrumentis chirurgicis et fasciis rite applicandis me docuerunt, quem et in operationibus in cadavere instituendis

ducem habui benignum. Ill. Betschler Artem obstetriciam cum theoreticam tum practicam nec minus aciurgiam in cadaveribus illustratam mihi exposuit. In clinico medico et policlinico Ill. Remer, e in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Benedic praeceptores ducesque me secutum esse optimo eosque mihi benevolentissimos semper gaudebo Triennio praeterlapso anno MDCCCXXVIII Berolinum me contuli, ubi Ill. Bethmann-Hollweg, t. t Rectore Magnifico, academiae civium libro nomen dedi et ab Ill. Bartels, gratiosi medicorum ordini t. t. Decano spectabili, numero medicinae studiosorum adscriptus, lectionibus interfui hisce: Ill. Horn de Pathologia et Therapia morborum mentis; Ill Jüngken de cognoscendis et curandis oculorum morbis; Ill. Kluge de ossibus fractis et luxatis Ill. Bartels Hippocratis aphorismos mihi interpretatus est, eumque in clinico medico praeceptorem secutus sum quam maxime benevolum; Ill. de Siebold partem artis obstetriciae practicam mihi tradidit, cujus et exercitationibus in machina institutis interfui.

Praeterea in Clinico chirurgico Ill. Rust; in

clinico chirurgico et ophthalmiatrico geneross. de Graefe; nec non in clinico morborum syphiliticorum Ill. Kluge, atque in clinico obstetricio Ill. de Siebold, sedulo versatus sum.

Tentaminibus autem et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, omnibus hisce viris illustrissimis summas, quas possum, gratias palam ago, ac fore spero, ut dissertatione thesibusque publice a me defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

Denique Ill. Hecker, qui hancce materiam, ut describerem, benevole mihi proposuit, debitas ago gratias.

Theses defendendae.

1.

Mater, morbo quamquam implicita, infantem tamen ad ubera admittere interdum potest.

2.

Fossa navicularis certa urethroblenorrhoeae sedes non est.

3.

Inflammationis adhaesivae nomen parum idoneum esse, contendo.

4.

Secretum syphilidis aliquod secundariae vehiculum contagii venerei etiam habendum.